

S. MAVRITIUS MARTYR.



S. MAVRITIUS MARTYR.
S. Anctus Mauritus legionis Thebaidæ, quæ anno Christi trecentesimo propter ueram Christianæ fidei religionem, in Vallesia Heluetiorum martyrij coronam nacta est, dux fuit. Cum enim tempore Diocletiani & Maximiani Cæsarum multæ seditiones per Romanum Imperium orientur, præsertim uero in Galliæ finibus, dum Amandus & Helianus præfecti rudem plebem ad arma concitarent, Senatus populusque Romanus Maximianū Imperatorem cum instructo exercitu eo loci miserūt, ut huiusmodi tumultus compescerent. In eo exercitu erat quoque Aegyptiaca legio ex urbe Thebaida cōgregata, quæ circiter 6666 milites cōtinebat. Illi enim reipub. Romanæ subditi, inobedientes in officio continere, & nequaquam pios persequi iussi fuerant. Cum itaque legio illa Christiana cum Cæsare alpes Pæninos transgressi Octodurum, quod hodie Martinach dicitur, peruenissent, statuerat Maximianus Cæsar idolis suis cum toto exercitu sacrificia offerre, ut feliciorem uictoriam acquirerent. Id cum Thebana legio sensisset, celeriter Agaunum uersus duodecim millibus passibus distante locum profecti sunt, ne celebri huic Ethnicorum festo interesse co gerentur. cum enim uerum Deum agnoscerent, idolorum cultum auersabantur. Itaque itinere fessi iuxta Valesiorum Agaunum in planicie confederunt, Cæsaris aduentum expectantes.